



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid in nobis operetur mißio Spiritus sancti, 27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

3. Deus namque propter hominem factus est homo, ut esset redemptor qui est & creator, ut de suo redimeretur homo. Et ut familiarius diligeretur ab homine, Deus in similitudine hominis apparuit; & ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate; ut, sive ingrediens, sive egrediens, in ipso pasqua inveniret natura humana condita ab ipso.

### C A P V T XXVII.

*Quid in nobis operetur missio Spiritus sancti.*

1. **S**alvator namque noster natus est nobis, crucifixus & mortuus est pro nobis, ut morte sua mortem nostram destrueret. Et quia botrus carnis portatus fuerat ad torcular crucis, & expressione facta fluere coeperat mustum divinitatis; missus est Spiritus sanctus, quo vasa cordium prepararentur, & vinum novum in utres novos poneretur: primum ut corda mundarentur, ne infusum pollueretur: & postea ligarentur, ne infusum amitteretur. Mundarentur à gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim quod bonum est venire potuit, nisi prius recederet, quod malum est. Gaudium iniquitatis polluit, & gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum, & gaudium vanitatis facit rimosum.

2. Gaudium iniquitatis est, cum peccatum diligitur: & gaudium vanitatis est, cum transito-

transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est, percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine impleri possis. Spiritus sanctus gaudium est & amor. Ejice spiritum diaboli, & spiritum mundi hujus, ut accipias spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, & spiritus mundi gaudium vanitatis. Et, hæc gaudia mala sunt, quoniam alterum habet culpam, alterum occasionem culpæ. Veniet autem spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali: & intrabit tabernaculum cordis, & operabitur gaudium bonum & amorem bonum: quo expellitur amor mundi, & amor peccati. Amor mundi allicit & decipit: amor peccati polluit, & ad mortem adducit. Amor Dei mentem illuminat, conscientiam mundat, animam latificat, & Deum demonstrat.

## C A P V T XXVIII.

*De operatione ejus qui diligit Deum.*

I. **I**N quo amor Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, ut veram pacem inveniat: semper habet cor suum & desiderium in superna elevatum. Quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, vel quando aliquid agit, cor à Deo non recedit. Omnes ad amorem Dei exhortatur. omnibus amorem Dei commendat: & quam dulcis sit Dei amor, & quam malus, & quam amarus sit